An liceat petere, si maleficus velit aliquam medicinam vanam applicare? n.15.
An liceat indifferenter petere, quando petendo modo licito, eo solvet? n.16.
An liceat à dæmone petere, ut solvat, vel à dæmone superiore, ut illum cogat? n.17.
Qualiter maleficî signo posito noceant? Et quotupliciter id pactum cum dæmone ineant? n.18.
An liceat id signum destruere animo obtinendæ salutis? n.19.
An possit ille, vel alter maleficus interrogari, in quo maleficium consistat, quamvis id à dæmone didicerit? n.20.
An liceat id maleficii signum destruere, etsi inde damnum in ipsum maleficum, vel in alium redundare debeat, ex pacto dæmonis cum ipso maleficio? n.21.
An teneatur maleficus, vel alius sciens, in quo maleficium consistat, destruere signum? n.22.
An maleficus teneatur damna illata resarcire? n.23.
An judex possit cogere maleficum ad destruendum id signum? numero 24.
An liceat ponere aliud signum, quo posito dæmon nocere cessabit? num. 25.

1 PRæmittendum est primò, cognitionem aliquam, aut bonum naturale, ut sanitatem, à dæmone acquisita, posse licitè retineri, & illorum usum esse licitum, dummodo conservatio jam à dæmone non pendeat. Ut probabo *c. seq. num.* 20.

2 Secundò præmittendum est, circa bona externa; ut divitias, à dæmone acquisita, spectandum maximè esse, an vera sint, an potiùs elusoria, solent enim sæpè divitiæ esse, ac posteà in carbones converti, aut omnino evanescere. Quare nisi satis probata, & evidens sit illorum veritas, nequaquam licebit illorum usus. Solet etiam dæmon daturus veras maleficis pecunias, surripere aliis: quare si id constet, tenentur accipientes restituere eas veris dominis. Quia etsi Deus permiserit dæmoni rapinam illam, non ob id permittit, autferendo verum dominum alterius: sicut nec illud aufert, quando permittit homini furtum. Vix tamen hoc ad praxim reduci valet: quia vix potest sciri dæmonem alicui surripuisse: potuit ex maris profundo, aut ex aliquo thesauro sub nullius dominio existente pecunias illas auferre. Quare retineri valent, dum de furto non constiterit. Hæc optimè docet *Suar. tom. 1. de religione, lib. 2. de superst. c. 17. n. 3.*

3 Tertiò præmittendum est, numquam ob quemcumque bonum finem licere uti maleficio. Quòd sit intrinsecè malum, invocare dæmonis auxilium per maleficia. Quod latè probavi *l. 7. de matr. m. disp. 95. n. 1.* Ubi textus in *l. Eorum 4. C. de maleficis, & in l. regia finali titul. 23. p. 7.* decentes maleficos exercentes bono fine maleficia, ne fructus terræ vi ventorum, ac grandinis absumantur, excusari, explicui cum *Bartolo, Salicet, Greg. Lop. Azevedo*, ut intelligantur excusari à pœna fori externi, non autem à culpa. Et ita etiam eos textus explicat *Suar. eod. l. 2. c. 24. n. 14.* Aliàs errorem intollerabilem continent.

4 Hinc deducitur, peccare mortaliter judices, qui causa curiositatis, aut verificandi delicti, aut ob quemcumque alium bonum finem efficiunt, ut coram illis maleficî exerceant aliquod maleficii opus, ut facere subtùs apparere ibi ranas, vel strynges ferri unctione quadam linitas per aera, &c. Quia est intrinsecè malum.

5 His præmissis duplex difficultas est. Prior est, an liceat, à maleficio parato ad solvenda maleficiis maleficia id petere? Posterior, an liceat maleficii signum destruere? Circa priorem difficultatem quidam censent id licere. Quia id non est ad malum inducere, sed uti malitia parati ad illud perpetrandum, cogente obtinendæ salutis necessitate. Sicut licet petere mutuum ab usurario parato, & juramentum ab infideli parato per falsos deos jurare, quando ad utrumque necessitas cogit. Sic *Aureolus 4. d. 34. q. 2. Angelus in summa verb. Superstit. n. 13.* At hæc sententia est omnino falsa, & erronea. Quia id solùm licet à parato petere, quod ipse licitè potest præstare, & sua malitia eligit modum illicitum, & ex alia parte petentis interest, ut suæ necessitati consulat: tunc enim non est petere peccatum, nec ad illud cooperari, sed petere rem licitam, quam alter sua malitia illicitè præstat. Ut contingit in petente mutuum ab usurario parato, & juramentum ab infideli parato ad jurandum per falsos Deos. At maleficus ob nullum bonum finem potest maleficium solvere: ut probavi *n. 3.* Et ratio diversitatis inter utrumque est: quia petens ab aliquo opus aliquod est causa moralis illius operis, quamvis alter sit paratissimus: quare petens mutuum, ab usurario parato non excusatur, eo quòd non sit causa moralis illius mutui, sed quia mutuum de se est bonum, & ex sola mutuantis culpa malè fit. Quando ergo opus à parato nequit licitè præstari, illud petens est causa malitiæ inseparabilis ab eo opere, ac proinde peccat. Ita latiùs probans, & multos Auctores referens tenui *lib. 7. de matr. disp. 95. n. 7.* Et ultra Auctores *ibi* relatos, docent *Suar. tom. 1. de relig. l. 2. de superst. c. 18. à n. 3. Sayro in clavi regia, lib. 4. c. 6. n. 26. & 27. Leon. l. 2. de just. c. 44. dub. 6. num. 33.*

6 Nec licet etiam petere à maleficio, ut solvat maleficium, quod modo licito constat solvi posse, quando constat eum modum licitum ab eo ignorari. Quia nil refert modum licitum esse impossibilem, si huic maleficio est ignotus, eo enim ipso est illi impossibilis, & ideò petendo ab illo, ut destruat maleficium, petitur virtute, ut alio maleficio destruat; non .n. petitur, ut modo sibi incognito, ac subinde impossibili destruat. Ita colligitur ex omnibus Doctoribus citatis pro doctrina *n. præc.* tradita. Et docet *Suarez. to. 2. de relig. l. 3. de juram. in c. 13. n. 5.* Et constabit ex dicendis *n. seqq.*

7 Imò nec id licet, quando est dubium, an maleficus norit aliquod medium licitum. Tum quia cum communiter solà media superstitiosa norit, est præsumptio contra illum. Tum etiam quia tunc perinde est ac dubitare, an solutio illa maleficii possit licitè fieri: quo dubio perseverante non est licitum operari. Sic tenui *eadem disp. 95. n. 13.* & docent *Suar. to. 1. de relig. l. 2. de superst. c. 18. n. 8. in fin. Leonard. eod. c. 44. dub. 6. n. 46. Martinus del Rio l. 6. disquis. mag. c. 2. sect. 1. qu. 2. pag. penult.* Qui optimè consulit *ibi* gratia vincendi hujus dubii, esse interrogandum maleficum, quæ media norit: & si renuat explicare, ait esse vehementem suspicionem contra illum; si autem explicet, tunc videndum est, an sint licita, juxta dicenda à *n. 18.*

8 Hinc deducitur non licere petere ab alio mago, qui auctor illius maleficii non fuit, ut id destruat, quando nil de illo, aut de loco, ubi sunt ejus signa, novit. Quia ea petitio est tacita, ut alio maleficio id à dæmone norit, & solvat. Sic *Suar. eod. c. 18, n. 8.* Quare cum *Martino del Rio ead. q. 2.* dixi *ead. disp. 95. n. 14.* rarissimè licere eam dissolutionem ab alio maleficio petere, nisi de loco, & modo maleficii ab ipso Auctore, vel ab alio sit factus certior. Quia talis moraliter nescit mederi absque alio maleficio, & nova dæmonis cooperatione.

9 Temperant quidam, ut non liceat petere à malefico, ut maleficium maleficio solvat rogando illum; at cogendo illum minis, dicunt licere. Auctorem hujus sententiæ, & ejus fundamentum retuli *ead. disp. 95. n. 9.* Et eam tamquam falsam rejeci *ibi* alleg. *Martino del Rio*: & eam quoque improbat *Suarez eo c. 18. num. 7.* Quia cum ille maleficus, quantumcumque minis coactus peccet maleficium maleficio dissoluens: utpote quod est intrinsecè malum, eadem culpa cogens ad id ligabitur.

10 Quare nulla ratione possunt culpa liberari judices cogentes maleficum benedictione quadam maleficium auferre. Quippe ea maleficii benedictio nil aliud est, quàm quædam formula, & cæremonia, qua adhibita iniit pactum dæmon se cessaturum, Atque ita alleg. *Martino del Rio* probavi *eadem disp. 95. n. 10.*

11 At licebit judicibus volentibus maleficum torquere efficere, ut ejus corpus abluatur, & ut capilli totius corporis ejus abradantur. Quia id non fit gratia alicujus superstitionis, sed dumtaxat ne maleficium lateat foraminibus infertum, vel crinibus insersum, aut aliqua unctio subsit, quibus maleficus non sentiat dolorem tormentorum. Et ita docent *Leonard. l. 2. de justit. c. 44. dub. 6. n. 44. & Martinus del Rio lib. 5. disquis. magic. sect. 9. dub. 3. in 3. cautela*, ubi benè addit id fore superstitiosum, si tonso illa fiat credendo amitti vires per illam, instar Samsonis. Quia cum ad effectum sit vana, & inutilis ea tonsio, esset superstitio.

12 Urgentior autem est difficultas, quando maleficus novit medium licitum, & illicitum solvendi maleficii, an integrum sit petere absolutè ab eo maleficii dissolutionem? Et quidem quando petens credit probabiliter, fore, ut maleficus modo licito solvat, aut dubius est utro illorum solvet, licitum est petere absolutè dissolutionem. Quia petitio est ex se indifferens, & persona, à qua petitur, potest licitè id exequi, & ideò cessat morale periculum. Et hoc magis constabit ex dicendis *n. seq.* Et docet *Suarez tom. 1. de relig. l. 2. de superst. c. 18. n. 8.*

13 Quando autem petens est certus fore, ut medio illicito maleficus solvat, quidam damnant eam petitionem. Quòd malefici ut sic opus petatur, petita absolutè ea maleficii dissolutione. Hos retuli *ead. disp. 95. n. 11.* Verum id licere probavi *ibi n. 12.* & Auctores retuli. Et præter *ibi* citatos, tenet idem *Suarez eod. c. 18. n. 9.* Et expressè est ejusdem sententiæ *Leonard. l. 2. de justit. c. 44. dub. 6. nu. 46.* nam ait idem in hoc casu dicendum, quod dixerat *eod. l. 2. c. 42. dub. 10.* de petente juramentum absolutè ab infideli, quem scit per idola juraturum, ubi id licere urgente causa justa illius petendi affirmat. Et ratio est, quia ferè omnes fatentur licitum esse ex causa justa petere mutuum ab usurario, & juramentum ab infideli, quamvis petenti constet, fore ut ille peccet exigendo mutui usuras, & hic jurando per falsos Deos. Atque eam hujus rationem tradunt, quia tunc petit quispiam rem, quam alius licitè præstare potest, atque necessitatem petendi habet: & ideò non censetur inducere ad malum, nec moralem peccandi occasionem præbere: & alter sua sola malitia peccat. Quæ ratio omninò eodem modo procedit in præsenti casu, cum similiter possit res illa à maleficio licitè præstari, nec petatur modus illicitus: & urgeat necessitas obtinendæ salutis, ad eam maleficii dissolutionem petendam.

14 Imò sicut petens mutuum ab usurario nolente dare nisi sub usuris, potest acceptare mutuum acceptata conditione dandi sub usuris, juxta communem sententiam: quòd id non sit cooperari peccato alterius, utpote qui sola sua malitia peccat, potens licitè mutuum dare, & ideò solus est peccati alterius usus ad propriæ necessitati consulendum. Ita si maleficus nollet solvere modo licito sibi cognito maleficium, potest acceptari, ut alio maleficio solvat. Quia eadem prorsus ratio militat. Quod defendi *eadem disp. 95. n. 11.* Et quamvis prima facie videatur adversari *Suarez tom. 2. de relig. l. 3. de*

de juramento, c. 13. n. 11. non adversatur re vera, optimè dicit non esse æquiparationem utriusque casus regulariter admittendam ratione scandali. Quippe in casu usurarii est per se notum nolle acceptantem approbare usuras, sed invitum permittere: at in nostro casu apparet exteriùs quædam approbatio posterioris maleficii, contraria externæ professioni fidei: at tandem id admittit, quando necessitas urgens ostendit non esse mentem acceptantis approbare conditionem, sed illam solùm permittere, eò quòd aliud obtinere nequit.

15 Duo tamen monuerim. Prius est, si nolit maleficus mederi absque aliqua cooperatione petentis, aut maleficiati, ad maleficium illud, ut si velit mederi aliqua medicina vana, & superstitiosa, nullatenus licet id admittere. Quia est uti medicina vana, ac superstitiosa, nullam vim medendi habente, nisi ex dæmonis pacto. Nec potest id dici solus peccati alterius usus: quia consentiens medicinam illam sibi applicari, re vera utitur ea, ac proindè cooperatur medio vano, & superstitioso. Et ita defendi *ead. disput. 95. n. 12.* & tenet *Suarez tom. 1. de relig. l. 2. de superst. c. 18. in fine.*

16 Posterius est, quando spes esset, fore ut petito determinatè modo licito, aut monito maleficio, non uteretur modo illicito, teneretur petens lege charitatis ad id: sicut tenetur ad vitandum quodcumque proximi peccatum. At cessante ea spe non tenetur. Et ita probavi *eod. n. 12.* & docet *Suarez. n. præc.* relatus.

17 Tandem nullatenus licet petere à dæmone, ut cesset maleficio illo vexare. Quia licèt cessatio illa possit in se esse bona; at illam à dæmone postulare est intrinsecè malum. Quod involuat pactum, & societatem cum ipso, & quemdam ejus cultum: non .n. minùs est quidam ejus cultus rogare illum, ut aliquid faciat, quàm rogare, ut non faciat. Nec imperio erga dæmonem est alicui integrum uti nisi Dei nomine per exorcismos. Ut latiùs dicemus *c. seq.* ubi agemus, an id liceat invocato dæmone superiori, ut inferiorem cogat. Et ita contra quemdam Auctorem defendi *ead. disp. 95. n. ultim.* & ultra Doctores *ibi* allegatos, tenet *Suar. eod. c. 18. n. 5. & 8.* qui opt mè *eo n. 5.* advertit cautè intelligendum *Leonardum l. 2. de just. c. 44. dub. 6. nu. 45. ad fin.* ubi ait licitum esse verbo petere à dæmone, ut desinat nocere, dummodo id non petatur deprecando; sed benè ait *Suarez* id intelligendum sano modo: nam petere, & deprecari parum differunt, unde petere per modum supplicationis non licet, sed per solum objurgationis, & contemptus modum; ut dicendo: *abi hinc, cessa male facere.*

18 Posterior difficultas est. An liceat maleficii signum destruere, ad obtinendam ejus sanitatem? Præmittendum est solere à maleficis pactum cum dæmone iniri, ut quamdiu ligatura aliqua fuerit, vel dum res aliqua in tali loco defossa permanserit, aut quid simile, duret maleficium, & iis ablatis cesset. Potest autem id pactum dupliciter iniri. Priori modo, intercedente duplici pacto: ut cum convenitur, fore ut dæmon vexet adhibito tali signo, eoque remoto cesset. Tunc enim est duplex pactum, alterum nocendi posito eo signo, alterum desistendi eo ablato. Posteriori modo, quando unicum adfuit pactum, ut nocendi posito tali signo. Quippe hoc pacto tantùm obligatur dæmon nocere posito eo signo, manetque illi libertas nocendi, aut cessandi eo signo ablato.

19 Dubitatur ergo, an liceat id signum maleficii, quo posito dæmon nocet, destruere? Quidam licere negant. Quòd id sit confirmare pactum à dæmone initum, & nulla alia ratione ablato signo dæmon nocere desinat, nisi virtute pacti. Has, & alias eorum rationes retuli *l. 7. de matrim. disp. 96. n. 2.* Verùm dicendum est licere ipsi maleficio, vel cuicumque alii, id signum amovere; non quidem animo ut priori maleficio pactum à dæmone servetur, sed destruendi pacti cum illo initi, & obtinendæ salutis. Quod multis rationibus & Doctoribus citatis, probavi *eod. disp. 96. n. 3.* & contrariis satisfeci *n. 6.* & ultra DD. *ibi* allegatos, idem tenent *Henr. de Gandavo quod lib. 5. q. 33. Binsfeldius in tit. de maleficis, & mathematicis, qu. 5. Suar. tom. 1. de relig. l. 2. de superst. c. 17. à n. 9. usque in fine. Leon. l. 2. de justit. c. 44. dub. 6. à nu. 36. usque ad 44. Sayro in clavi regia, l. 4. c. 6. in fin.* Quod quidem verum est, sive unicum, sive duplex pactum cum dæmone initum fuerit modo, quem *n. præc.* explicui. Ut benè tradunt *Suar. ibi n. 15. Leon. ibi n. 39. Martin. del Rio l. 6. disquis. mag. c. 2. sect. 1. q. 3.* Et ratio potissima est, quòd auferendo signum intentione prædicta, nec paetum, nec amicitia cum dæmone confirmentur, nec illi honos exhibeatur, imò potiùs pactum solvatur, ac dæmone contempto ab ejus amicitia recedatur: ob idque signum fœderis aufertur, aut comburitur.

20 Adde posse interrogari alium maleficum, an norit, in quo tale maleficium consistat, ut signum destruatur. Quòd si ille ignoret, minimè induci potest ad id per suam artem agendum. Quia id esset inducere ad maleficium, quo mevestigiando id à dæmone addiscendum esset. At si fortè is maleficus per maleficia id à dæmone didicerit, licebit ea scientia ad destruendum maleficii signum uti. Quia *nu. 1.* probavimus peccatum esse notitiam alicujus rei à dæmone procurare, at ea semel habita licere uti. Et ita docet *Ovandus 4. d. 34. disp. unic. pag. penult.*

21 Imò quamvis sublato maleficii signo debeat in ipsum maleficum redundare aliquod damnum, quod ita dæmon cum pactus sit, nulla est culpa illud auferre. Quoniam auferens nulla ratione concurrit ad maleficii damnum, sed solùm sibi consulit auferens signum. Quare damnum malesico secutum est præter ejus intentionem, nec ex illa signi remotione sequitur, sed ex dæmonis pacto, cui auferens nullatenus cooperatur. Quæ ratio concludit idem dicendum, etsi damnum illud in quemdam tertium redundaret, maleficus ita pacifcente cum dæmone. Nam auferens nil ad damnum id cooperatur, sed se tuetur ablato sibi nocente; nec tenetur damnum alterius cum suo damno vitare. Quod si præter signi ablationem esset aliqua actio positiva necessaria damnificans maleficum, ut maleficiatus ineolumis evadat, non licebit auctoritate privata illam exercere; at licebit auctoritate publica, si nullum dæmonis pactum in illa actione sit. Hujus enim est innocentes eruere, etiam cum nocentium damno. Hæc latiùs probavi citato *Ovando, ead. disput. 96, n. 5.*

22 Nec tantùm licet id signum destruere, sed tenetur maleficus, vel quicumque alius id efficere; ille quidem tamquam damnificator lege justitiæ, hic autem lege charitatis, si commodè potest: nisi sit minister justitiæ, tunc enim tenebitur etiam lege justitiæ. Quæ ex se patent. Et docet *Suar. eod. l. 2. c. 17. n. 13.*

23 Quòd si damnum aliquod ex maleficio secutum sit, tenetur maleficus integrè restituere. Quia etsi dæmon id fecerit damnum, fuit tamen maleficus causa ipsum sollicitans. Et ita docet *Suar. eod. c. 17. n. 13. & c. 14. n. 12.*

24 Quare potest magus ille à judice cogi ad id signum destruendum. Ut benè docet *Suar. eo l. 2. c. 18. nu. 7. & 8.* Imò tenetur ex justitia illum cogere. Cum ex officio teneatur cogere ad damna resarcienda.

23 Tandem licet etiam signum positivum contrarium apponere, dummodo sit ex se licitum, aut indifferens, ad pactum illud cum dæmone initum rescindendum, v. g. si dæmon esset pactus cum maleficio se nociturum, nisi maleficiatus posteà se signet Cruce, aut lavet corpus: licebit huic se signare, aut lavare, non intentione sanandi positivè eo medio, aut opera dæmonis, sed solo animo tollendi signi, & pacti nocendi dissolvendi. Quippe intentio illa est bona, & medium est licitum, aut de se indifferens, ac supposita dæmonis malitia est bonum: est enim solùm incentivum mali auferre: & parum refert ablationem signi fieri per actionem positivam alterius rationis, sive non. Et ita docet *Suar. eod. c. 17. nu. 16. Leonardus l. 2. de just. c. 44. dub. 6. n. 43.* Quod idem docent, etsi non ita clarè, *Sylv. verb. maleficium q. ult. & Delrius l. 6. disq. magic. c. 2. sect. 1. qu. 2. vers. Alii itaque*, ubi relata sententia dicente licere vana vanis rejicere, quam tenent *Host. c. fin. n. 6. de frigidis, & ibi Joan. Andr. n. 16.* & sequuntur alii, quos retuli *l. 7. de matrim. disp. 95. num. 2.* intelligendo, licere vanis, idest, indifferentibus. Quod impugnant alii, quos ibi *n. 3.* retuli. Declarant *Sylv. & Delrius ibi* id licere, quando quis ea indifferentia faceret, experiri volens, aut credens maleficium solvi non dæmonis operatione, sed ejus cessatione ab operando; quòd sciret dæmonem pactum esse cum malefico tunc cessaturum. Addit *Leonard. n. 46.* si dubium sit, an id signum sit superstitiosum, non licere nisi fortè præmissa contrariæ voluntatis protestatione. Sed nec hoc modo audeo id approbare.

CAPUT XLII.

De adjuratione, & superstitionibus in ipsa repertis.

SUMMARIUM.

Adjuratio quid, & quotuplex sit? Et in quo differat à juramento & oratione? n. 1.
Qui possit adjurare, & adjurari? Et per quem possit adjuratio fieri? num. 2.
An adjuratio sit actus religionis, distinctusque ab aliis? n. 3.
An sit sub precepto? n. 4.
An adjuratio reddatur illicita defectu veritatis, justitiæ, aut judicii? num. 5.
Qua exigantur, ut quis dæmonem habeat? Et qualiter hic sit in corpore humano? n. 6.
Quam potestatem in eo habeat? Et an semper adsit, aut dum adest, molestet semper? Et in qua parte sit? Per quam partem intret, & exeat? n. 7.
An aliquando sint multi in eodem corpore, & uno ejecto exeant omnes? num. 8.
Unde dignoscatur dæmonem esse in aliquo corpore, aut exisse? numero 9.
An res corporeæ possint dæmones affligere, aut expellere? numero 10.
Qualiter magus liget dæmonem, illum in aliquam rem includens? num. 11.
Adjuratio deprecativa, erga quos liceat, & an obliget hominem adjuratum? n. 12.
Imperativa erga quos homines liceat? n. 13.
Qualiter hæc subditum liget? n. 14.
Adjuratio imperativa dæmonis qualiter liceat? n. 15.
An exorcismi infallibiliter, & ex opere operato dæmones pellant? num. 16.
An eamdem vim habeant in maleficia, & alia damna à dæmone illata? n. 17.
Quibus competat potestas expellendi dæmones? Et an majorem habeant sacerdotes? n. 18.

An liceat dæmones adjurare deprecativè, ut recedant; aut imperativè petendo obsequium? n.19.
An liceat cognitione à dæmone habitâ uti? n.20.
An liceat adjurando præcipere dæmoni superiori expulsionem inferioris? num.21.
An liceat adjurare, ut dæmon superior præcipiat inferiori, ut cesset à damnis? n.22.
An liceat adjuranti interrogare nomen à dæmone, socios, & causam ingressus? n.23.
An liceat interrogare aliquid ad Dei gloriam, & aliorum utilitatem? n.24.
Qualis culpa sit aliquid curiosum rogare, vel facere, ut dæmon curiosa efficiat? n.25.
Exorcistis cavendum cum dæmone nugari, & curiosa quærere. Et an dæmoni sit credendum? n.26.
An possint dæmonem in infernum, aut in alium locum trudere? num.27.
An liceat à dæmone signum perpetui exitus petere? n.28.
An liceat obsessum percutere alapis, & flagellis? n.29.
An liceat sputo, & fumo mali odoris, obsessum affligere? numero 30.
An possit exorcista aliquas medicinas obsesso applicare? numero 31.
An liceat dæmoni sub pœna excommunicationis præcipere? numero 32.
An liceat dæmonis nomen urere, & dæmoniaci capillos, aut pilos radere? n.33.
An liceat terminis judicii uti, jusso dæmone, ut tunc recedat, & tali die se judicio sistat? n.34.
Unde cognoscatur exorcistas esse superstitiosos? n.35.
An possint bi connivere petitionibus dæmonis egressuri? numero 36.
Adjurare creaturas non rationales qualiter liceat? n.37.
Quid Ecclesia ad has adjurationem dirigens intendat? numero 38.
An liceat eas excommunicare, & cum ipsis litem movere, & pugnare? num.39.
An tolerandi sint dicentes se posse fugare nubes, & terra nocentia? num.40.

1 ADjuratio *teste D. Thom.* 2. 2. *q.*96. *art.*1. est, aliquam personam imperando, aut obsecrando inducere ad aliquid faciendum, omittendumve, invocatione alicujus rei sacræ. Ut *D. Paulus ad Rom.* 12. fecit. *Obsecro vos per misericordiam Dei.* Quare est duplex. Quædam deprecativa, quæ fit deprecando. Altera imperando, quæ est imperativa. Convenit autem adjuratio cum juramento; quia sicut hoc adhibetur ad veritatis affirmatæ confirmationem, aut majorem promissionis factæ firmitatem: ita adjuratio fit, ut postulatio, aut justio sint efficaciores. Differt autem ab illo, quòd in juramento adducatur Deus, ac testis veritatis, aut quasi fidejussor promissionis: in adjuratione autem ut objectum amoris, vel timoris ejus, quem adjuramus, ut inde ejus timore, vel amore ducatur ad rem petitam concedendam. Nec placet, quod dicit *Valent.* 2. 2. *disp.*6. *q.*8. *punct.*2. *q.*1. *in fine*, ubi ait in omni juramento promissorio inveniri adjurationem. Cujus contrarium benè docet *Suar. tom.*2. *de relig. l.*4. *de adjuratione c.*1. *n.*10. Quippe potest peti simpliciter; & non interposito divino nomine à petente juramentum promissorium: ut in contractibus contingit. Differt etiam adjuratio ab oratione: quia per orationem aliquid à Deo petitur: at per adjurationem ut sic non petitur aliquid à Deo, sed propter Deum, & ita potest id peti à Deo, & tunc conjungantur adjuratio, & oratio; aut ab hominibus, & tunc non est oratio aliqua, & aliquando nil petitur, sed imperatur.

2 Hinc sit in adjuratione tria concurrere, nempe, adjurantem, adjuratum, & id per quod adjuratio sit. Adjurans debet esse necessariò res intellectualis, cujus solius est rogare, aut jubere. Potest autem adjurare Deus ipse, ut ob nomen suum aliquid præcipiendo. Possunt etiam Angeli, & dæmones, ut *Marci* 5. dæmon Christum adjuravit, *Adjuro te per Deum, ne me torqueas*. Res adjurata debet quoque necessariò esse intellectualis. Ut constabit ex dicendis *num.*37. Possunt autem, Deus, Angeli, & Sancti, & dæmones, & quicumque homines adjurari. Quando autem deprecativè, & quando imperativè, constabit ex dicendis à *num.*12. Res, per quam fit adjuratio, sunt Deus, Angeli, & Sancti, & homines justi viatores, non autem per creaturas inferiores in natura, aut in statu gratiæ, sit adjuratio. Ut optimè docet latiùs probans *Suarez eodem l.*4. *de adjuratione c.*3. *per totum*. Prior pars patet, quia cum plurimùm valeant apud Deum, Angeli, Sancti, & justi, potest per ipsos Deus adjurari, ut aliquod beneficium concedat. Posterior probatur, quia aliæ creaturæ inferiores in natura, aut in statu gratiæ nil valent apud Deum. At potest Deus adjurari per commemorationem alicujus effectus creati, quatenus in eo claudatur Deus, ut eius auctor, & ut ex misericordia in uno opere suo inducatur ad aliud faciendum. Atque per justos, sive Beatos, sive viatores, potest Deus adjurari, non tantùm quatenus in illis Deus lucet, sed etiam præcisè spectando merita talis Sancti. Quia tunc non tribuitur illi Sancto aliquid Dei proprium, sed honoratur juxta sua merita. Hinc etiam adjuratio dæmonum excipitur, quæ per solum Deum, aut per Sanctos, ut in eis Deus relucet, potest fieri. Quia cum ea sola coactiva liceat, potest per solum Deum, aut per Sanctos, ut in eis Deus lucet, fieri: solus enim Deus, aut Sancti ejus virtute potest eos cogere. Habet etiam locum inter ipsos homines adjuratio quædam impropria, & moralis, & humana. Ut cum unus postulat ab alio per vitam patris, & filiorum, &c. quæ ex se nil vitii continet. Hæc omnia docet *Suar. toto eo c.*3.

3 Est autem adjuratio actus religionis, quando sit per Deum, sive expresè, sive tacitè. Quia in hoc adjurans tribuit Deo honorem, quod ejus auctoritatem tamquam plurimùm apud omnes valentem interponat ad aliquid obtinendum. Ita *Sot. l.*8. *de just. q.*3. *art.*1. *col.*3. & latiùs *Suarez eo l.*4. *cap.*1. *à n.*4. *usque ad*7. ubi, & benè probat esse specialem actum religionis distinctum à cæteris. Quia si cum aliquo coincidere deberet, essent juramentum, & oratio: at ab illis differt, ut *n.* 1. diximus. Quando autem adjuratio sit per Sanctos absque tacito ad Deum, respectu, non est actus religionis, sed ejus cultus, qui sancto illi debetur, ut hyperduliæ, si fiat per B. Virginem; duliæ autem, si per alios Sanctos. Et si fiat per aliam rationem creatam, ut per vitam tuam, vel patris, non est propriè adjuratio, sed quædam moralis, & humana. Et ita notat *Suar. eod. l.*4. *c.*3. *n.*6.

4 Et quamvis adjurationis non sit præceptum aliquod naturale, & divinum: quia quidquid per adjurationem petitur, potest simplici oratione obtineri: at cadit quandoque sub præcepto Ecclesiastico. Quia publicæ orationes Ecclesiæ, horarum canonicarum, & missæ, continent adjurationes per Dominum nostrum Jesum Christum, & per Sanctos: & in solemni Sacramentorum administratione etiam sunt exorcismi, & quædam aliæ adjurationes. Quare præceptum hoc non est peculiare, sed coincidit cum præcepto horarum Canonicarum, & ritè sacramenta, & missam administrandi. Potest etiam aliquando cadere sub officii obligatione, nempe, suppositâ hominis obsessi necessitate. Quippe tenentur ministri Ecclesiæ ex officio subvenire necessitatibus suorum fidelium per remedia conventientia, & juxta ritum ab Ecclesia institutum: unum autem est adjuratio per exorcismos. Hæc benè docet *Suarez eod. l.*4. *c.*4. *n.*2. 3. & 4.

5 Cum autem adjuratio quamdam juramenti speciem habeat, exigit ad sui honestatem eosdem tres comites, quos juramentum, nempe, veritatem, justitiam, & judicium. Veritas non exigitur eodem modo, quo in juramento. Quia in adjuratione nil affirmatur, aut negatur, sed solùm petitur aliquid ob divini nominis reverentiam, in se, aut in Sanctis suis. Quare in ea potest defectus veritatis tripliciter inveniri. Primo modo, quando adjuratio fit per falsum Deum, ut per Jovem, & tunc est mortale idololatriæ crimen. Sic *Suarez eodem cap. quarto, numero* 6. Secundo modo, quando est fictio ex parte petendæ rei, nempe, quando in adjuratione interposita petendo aliquid per Dei nomen, deest animus illius rei impetrandæ. Et hæc falsitas est venialis. Quia non est gravis irreverentia Dei, cum Deus non adducatur ut testis. Et ita benè docet *Suarez eodem cap. quarto num. septimo*. Ultimo modo potest esse ex parte causæ inducentis ad obtinendam rem petitam. Ut si quis ficta paupertate petat ob Deum eleemosynas. Et tunc ait *Suarez eo n. septimo*, esse probabile solam culpam venialem contra adjurationis religionem reperiri, ultra injustitiæ mortalem. Sed mihi non tantùm id probabile videtur, sed ferè certum. Quia cum actus ille eleemosynæ; ut ab operante procedit, sit optimus, non est gravis irreventia contra Deum inducere ad illum ob Dei amorem: quamvis aliunde ex parte petentis sit iniquitas. Justitia in eo consistit, ut res petita sit licita: si enim res mala petatur, est gravis Dei irreverentia, cum Deus interponatur ut intercessor illius peccati. Et ideò de hac adjuratione dicendum est, sicut de juramento, & voto rei malæ dicunt communiter Doctores. Et ita benè docet *Suarez eo cap. quarto, numero octavo*. Quare sicut juramentum, & votum rei venialis, sunt venialia, & rei mortalis, mortalia: ita quando per adjurationem petitur res venialis, est veniale, & quando res mortalis, est mortale. Et intelligo esse hanc malitiam specialem contra adjurationis religionem, ultra peccatum inductionis proximi ad malum. Quod probat ratio facta. Si verò adjuratio fiat per vitam alicujus hominis, vel aliam rem hujusmodi, non augetur culpa pravæ inductionis ad malum. Ut benè ait *Suarez eodem numero octavo*. Quia hæc adjuratio nec est propria, nec spectat ad religionem. Si fiat ob Sanctos, quatenus in ipsis splendet Deus, perinde est, ac si per Deum fieret, & ideò idem de utraque dicendum. Si verò respiciendo solam Sancti dignitatem quo ad sua merita, existimo etiam esse specialem mortalem culpam, etsi non tam gravem, quando petitur res mortalis. Quia gravis est Sancti injuria, eum ac culpæ illius patronum interponere. Ad judicium autem pertinet, ut cum necessitate, & debita reverentia fiat adjuratio, & non temerè in quavis occasione, sicut idem judicium petitur in juramento. Quippe in utroque nomen Dei assumitur. Et ita docent *D. Anton.* 2. *part. titulo decimo, cap. octavo, Sylv. verb. Adjuratio, in fin. Sotus libr. octavo de justit. quæstione tertia artic. primo ad fin. corpor. Valentia* 2. 2. *disputat. sexta, quæstione octava, puncto secundo, quæstione* 1. *Margar. conf. in primo præcepto fol. sexagesimoquinto, Suarez eodem cap. quarto, numero nono*. At sicut in juramento hic defectus est venialis. *Sylvester, Margarita confess. Suarez, Valent. ibidem*. Quare rectè ait *Sotus* exigi adjurationes proportionem cum

cum re petita habere, & religioni dissonare interponere adjurationem divini nominis pro re levi.

6 Quia tamen potissimæ difficultates adjurationis versantur circa factam cum dæmoniacis, placuit aliqua curiosa desumpta ex *Patre Thyræo Societatis Jesu*, brevissimè premittere, circa dæmonem in aliquo existentem, quæ latiùs in locis ipsius videri possunt. Primum est. Ut quis dæmonium habere dicatur, duo exiguntur. Prius est, ut in homine ipso dæmon sit. Dum enim exteriùs tantùm à dæmone affligitur, sicut Job, & D. Antonius, non dicitur habere dæmonium. Posterius est, ut quamdam vexandi potestatem in eo, in quo est, acceperit. Quod benè docet *Thyræus l. de dæmoniacis toto capit.* 1. Atque est in eo corpore dæmon, ut motor in corpore moto. Ut benè tradunt *Abulensis c.*8. *Matthæi qu.*113. *ad*2. *& Thyræus eo c.*2. Qui benè addit non ita esse in eo corpore, ut qualitatem aliquam illi imprimat, aut novum esse illi tribuat, nec propriè unum quid cum ipso homine constituit.

7 Secundum suppositum est. Hæc dæmonis potestas in dæmoniacum est potissimùm in corpus, & ea certo limite præscribitur. Quippe hac potestate non limitata à Deo nullus dæmoniacus mortem evaderet: cum ingentissimum dæmonis in hominem odium sit. Atque in animam minùs potestatis habet, quamvis ex corporis cruciatu, & afflictione, valde retardetur, ne ita liberè, & fervidè spiritualibus vacet. Præterea motus quosdam pravos in corpore excitat, ac prava sensibus externis, & internis objicit, quibus quodam quasi pondere voluntatem ad malum pertrahit, etsi cogere nequeat. Hæc docet *Thyræus eo l. de dæmoniacis, toto c.* 4. *&* 5. Qui benè *toto c.*8. probat non semper dæmonem in aliquo existentem molestiis ipsum afficere, nec semper in ipso esse, sed ad tempus cessare torquere, & ad tempus ipsum deserere, ac postea redire, Deo misericorditer ita permittente. Tertium suppositum est. Dæmon cum spiritus sit, per quamcumque corporis partem potest in ipsum ingredi. etsi quandoque per os intret. Potest etiam per quamcumque egredi, ac communiter per os egreditur, & quandoque per ventris fluxum. Prius docet *Thyræus eodem lib. toto cap.*9. Posterius autem *cap.*54. *num.*5. *&* 6. Qui *toto capit.* 8. optimè probat dæmonem in quavis corporis parte esse posse, & totum in toto, ac totum in qualibet parte, instar animæ rationalis, & nunc in una, nunc vero in alia esse, & plerumque dæmonis sedem in corde esse.

8 Quartum suppositum est. Sicut non est necesse, ut multi dæmones unum hominem obsideant, sed quandoque unus, quandoque verò multi obsident: ita fieri potest per exorcismos expulso alios non ejici. Et ratio est, quoniam cum non universi dæmones eamdem potestatem in ipsum dæmoniaci corpus habeant, sed quidam ex ipsis majorem, alii autem minorem, fieri optimè potest, ut soli illi dæmones, qui minori potestate potiuntur, exire cogantur, reliquis in eodem corpore manentibus. Quamvis autem hoc ita fieri valeat, ut plurimùm tamen egrediuntur universi dæmones simul è corpore. Tum quòd experientia id doceat: numquam enim legitur, uno dæmone expulso, socios ejus in corpore manere. Tum etiam quia cum ea, quibus dæmon expellitur, sint omnibus illis æquè exosa, verisimile est, ut sicut unus eis fugatur, ita quoque cæteri fugentur. Hæc *Thyræus* latiùs probans *eo liv. de dæmoniacis, toto capit. decimoquinto*.

9 Quintum suppositum est. Non semper est habenda fides exorcistis, nec dicentibus se dæmonum habere, nisi aliquod signum efficax sit. Quia sæpè utrique decipiuntur, vel impostores sunt. Inter alia autem est signum efficacissimum, si energumenos loquatur lingua antea sibi ignota, & peregrina: vel adeò immobilis existat, ut multis hominum viribus dimoveri loco nequeat. Ita *Sotus l.*8. *de justit. q.*3. *art.*2. *circa solutionem ad* 2. *versic. Primò argum. subnotatur, Circulo de superstit. n.*2. *De quibus, & de aliis signis consulendi sunt Delrius 3. p. c.*8. De quibus, & de aliis signis consulendi sunt *Delrius l.*6. *disquisit. magic. cap.*2. *q.*3. *sect.*2. *Thyræus de dæmoniacis, à cap.*22. *usque ad* 27. qui *c.*24. *à num.*13. *usque in finem*, benè ait, ait ad idiomatis peregrini signum referri scientiam legendi, aut scribendi, aut cantandi aut rerum naturalium nullo studio comparatam. De signis autem recessus dæmonis ab obsesso, consulendus est *Thyræus ibi, toto capit.* 52.

10 Sextum fundamentum est. Nulla res corporalis vim habet ad dæmones expellendos, ipsosve affligendos. Sic contra aliquos optimè probant *Suarez* dicens esse ridiculum optare *positum* 2. *tomo in* 2. *p. q.*65. *art.*4. *disp.*15. *sect.*4. *col.*6. *versic. Sed expliceandum superest, Angelus verbo Superstitio, n.*6. latissimè, *Abul.* 1. *Reg.*16. *à qu.*40. *usque ad*46. *Navarr. Sum. Lat. & Hisp.* 1. *Reg.*16. *à qu.*40. *usque ad*46. *Nav. Summ. Lat. & Hisp. c.*11. *n.*36. *Thyræus de dæmoniacis toto cap.*48. *Azor. tom.* 1. *l.*9. *institutionum moralium, c.*26. *qu.*2. *Delrius l.*2. *disquisit. mag. q.*30. *sect.*3. *& l.*6. *cap.*2. *q.*3. *sect.*2. Et ratio est, quia cum dæmon spiritualis sit, pati nequit à re aliqua corporali. Et ita concludit benè *Angelus ibi*, si herba aliqua, vel res aliqua corporalis aliquid possit in spiritum, id esse ex superstitione. Patentur tamen omnes hi Doctores, posse applicatis aliquibus naturalibus medicamentis energumeno, vexationem dæmonis sedari, atque ita etsi directè, & proximè res corporales nil in dæmonem operentur, at operantur indirectè, & mediatè, juvando, ut ejus vexationes placentur. Quippe impediunt ea medicamenta, vel auferunt dispositiones illas corporis, quibus dæmon utitur ad vexandum. Et hoc modo explicant id 1. *Reg.*16. ubi narratur Saulem à dæmone obsessum, eo liberatum Davide pulsante citharam. Sensus enim est, tunc non ita Saulem à dæmone vexatum: eò quòd eo pulsu refocillabatur, sicque dæmonis molestias minùs sentiebat. Et ita quoque intelligitur *c. fin.*26. *qu.*7. ibi: *Dæmonium sustinenti licet petras, vel herbas habere, sine incantatione*. Quia ea applicantur, non quasi vim habeant contra dæmonem: sed ad minuendum, vel auferendum pravum corporis humorem, quo dæmon vexat.

11 Ultimum fundamentum est. Hominibus nulla vis inest alligandi dæmonem alicui rei, illumque in illam includendi, ut in annulum, in vas, &c. Quare dum aliqui fic dæmonem, quem familiarem vocant, alligatum, aut inclusum dicuntur habere: dupliciter intelligitur. Primò, ut ipse dæmon sponte sua se alliget, aut illud includat, pacto cum homine inito expresse, & occultè, ut id dæmon faciat, cum primùm certa quædam verba, & carmina, aut incantamenta intellexerit. Sic *Abul. c.*19. *Matth. qu.*90. *Victoria de magia, numero vigesimosexto, Simancas de inst. Cathol. tit.*63. *numero* 30. *&* 31. *Toledo l.*4. *summ. cap.*14. *numero* 7. *Valent.* 2. 2. *disput.*6. *quæst.*13. *punct.*2. *colum.*5. *vers. Tertio neque, Delrius lib.*2. *disquis. magic. quæst.*30. *sect.*3. *Azor. tom.* 1. *l.*9. *instit. moralium c.*26. *quæst. secunda*. Quare (ut benè notant *Abulens. Toledo, & Delrius ibi*,) fingunt dæmones se homini subdi, ab ipsoque alligari, & cogi, ut vel sic magis ad veneficia afficiatur. Quippe si dæmones possent ab homine cogi, non docerent cum modos. Quia ob nullum lucrum hominibus subdi, cisque esse inferiores eligerent. Secundo modo id fit. Vi superioris dæmonis coactus inferior includitur in eum locum, illicque alligatur, per pactum à mago cum superiori dæmone initum, ut inferiorem includat, & alliget. Ita docent *D. August. lib.*21. *de Civitate Dei, Div. Thom.* 4. *contra Gentes, cap.* 90. *Victoria num.* 27. *&* 30. *Toledo, Valentia, Delr. Azor.* proximè allegatus. Atque ait benè *Victoria ibi numero trigesimotertio*, dæmonem superiorem non posse physica coactione alligare inferiorem, ita ut eo absente inferior discedere non valeat; sed sola morali coactione, idest, imperio. Sicut subditus dicitur cogi imperio superioris ad aliquid faciendum. Atque addit non esse verisimile dæmonem ita alligari illi rei, ut numquam inde recedat, sed dici alligatum, quia vocatus à possessore illius rei, semper venit, nec indiget longa temporis mora ad redeundum ubicumque sit, sed brevissimè redit, & tempore ferè imperceptibili, atque in quavis distantia potest cognoscere, quid geratur apud illum, in cujus potestate res illa existit.

12 His præmissis prima conclusio sit. Licita est cuivis adjuratio deprecativa erga Deum, & Sanctos, & quemlibet hominem. Conclusio est D. *Thom.* 2. 2. *quæst.*90. *artic.* 1. ab omnibus recepti. Et constat ex Ecclesiæ usu in omnibus orationibus Deum deprecantis per Dominum nostrum Jesum Christum. Item quia honestum est ad quoscumque inducendos ad aliquod bonum uti reverentia divini nominis. Nec hæc aliquam obligationem imponit homini adjurato propter Deum, quando est deprecativa. Ut benè *Suarez to.*2. *de relig. lib.*4. *de adjuratione c.*4. *n.*13.

13 Secunda conclusio. Adjuratio imperativa, seu coactiva, solis superioribus licet erga subditos in iis, in quibus illis subduntur, & causa justa fic adjurandi existente. Ita D. *Thom. eodem artic.*1. ab omnibus recept. Quia soli illi erga subditos potestate eis imperandi, eosque cogendi gaudent. Possuntque prædicta potestate uti, ut divini nominis reverentia per adjurationem interposita impellantur magis subditi ad præceptum exequendum. Nec est simile de juramento, quod potest inferior à superiori petere. Quia (ut optimè ait *Sot. l.*8. *de justit. quæst.*3. *art.*1. *colum. tertia, versic. Tertia tamen*) cum juramentum alicujus recipitur, recipiens minimè illum obligat, ut vel sic superior jurantis esse debeat. Sed ipse jurans proprio suo juramento se adstringit, quod actus ipsiusmet est. Adjurans autem imperativè adjuratum obligat ea adjuratione, quæ non adjurati, sed adjurantis actus est: & ideò debet adjurans superior adjurati esse. Imò uti adjuratione imperativa non subditum, dicunt esse mortale D. *Antonin.* 2. *p. titul. decimo, c.* 8. *Angelus verb. Adjuratio, num.*2. *Armilla ibi numer. sexto, Tabiena num.*6. *conclus.*5. *Suarez eodem cap.*4. *num.*12. Et *Tabiena num.*6. *conclus.*5. *Suarez eodem cap.*4. *num.*12. Et ibidem esse ajunt *Tabiena, & Armilla*, si fiat in subditum: in iis, in quibus non subditur. Quòd in utroque casu adjurans usurpet potestatem, qua caret, & sic peccet contra justitiam, lædatque jus commune. Sed meritò id limitant *Sylv. verb. Adjuratio, quæst. ult. & Margarita conf. in* 1. *præcepto, fol.*65. quando res est notabilis, *idem Suarez eodem numero* 12. benè addens esse specialem malitiam in religionem. Quia usurpatur nomen Dei ad vim injustam inferendam.

14 Subditus verò contraveniens superioris præcepto sibi per adjurationem impositò, non perjurus, sed solùm transgressor præcepti superioris est. Ita *Sotus num. præced.* relatus, *Suarez eodem cap.*4. *num.*16. Quare non approbo, quod dicunt D. *Anton.* 3. *part. tit.*10. *c.*8. *Armilla verb. Adjuratio, numer. quinto*, nempe, teneri tunc subditum ex præcepto, & juramento. Quod etiam indicant *Jansenius, Toledo, & Maldonado* quos *ibi* refert, & ponderat *Suarez num,* 25. Ex quo

sequitur (ut benè infert *Suarez ibi n.16.*) ex sola illa adjuratione non induci aliquam religionis obligationem, sed solam esse malitiam transgressionis præcepti superioris. Sicut testis juridicè rogatus negans veritatem absque juramento, peccat contra superioris præceptum, at non contra religionem, utpote qui non juravit. Quia secluso juramento nequit superior sua adjuratione novam necessitatem religionis imponere subdito, sed eam solam imponere potest, quam vis sui præcepti imponit. Quare erit mortale contra præceptum, tunc non obedire. Ut benè ait *Tabiena verb. Adjuratio, nu. 6. conclus. 4.* Quod intellige cum *Suar. eo c.4. n.14.* Quando præceptum est de re gravi, & verba superioris satis significant voluntatem imponendi præcepti. Quare quod ait *Sotus eod. c.1. ad fin. corporis*, nimirum, esse gravius peccatum transgredi id præceptum cum adjuratione impositum, quàm si adjuratio non esset, intelligendum est non de majori gravitate ex virtute religionis, sed ut quodammodo sit gravior intra eamdem obligationis præcepti speciem, eò quòd ea adjuratione magis excitetur subditus ad considerandam negotii gravitatem, & potestatem, qua jubentur. Ut benè ait *Suarez eo c. 4. in fine.*

15 Tertia conclusio. Adjuratio imperativa, seu coactiva dæmonum licita est per imperium arcendo illos tamquam hostes, ne hominibus spiritualiter, aut corporaliter noceant. Quippe Ecclesia habet specialem potestatem à Christo datam in dæmones, ad imperandum illis, eosque coercendos, seu expellendos. Quod constat ex *eo Luc.10. Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Et *Marci ultimo, In nomine meo dæmonia ejicient*, Et constat ex exorcismis ad hoc ab Ecclesia institutis. Quorum vim eos ad hæreticorum calumnias defendentes probant ex multis *Valentia 2. 2. disp. 6. qu.8. punct. 2. Bellarminus to.2. de sacramentis, lib.1. c.25. in sexta ceremonia, Suarez 3. tom. in 3. p. q.65. art.4. disp.15. sect.4.* Et latiùs *Thyræus de dæmoniacis, toto c.* 33. Quamvis autem à dæmone non petatur, ut exeat, vel nocere desinat, in gloriam Dei, & ob ejus nominis reverentiam: quod adjurationis ratio petit, (ut *n. 1.* diximus,) frustra enim id ab eis peteretur, utpote qui ea voluntatis perversitate obstinati sunt, ut quidquid agunt, ex Dei odio agant. Dicuntur tamen per exorcismos adjurari, propter similitudinem, & analogiam quamdam in hoc consistentem: ut sicut dum homines adjuramus, inducimus eos, ut propter Dei nomen aliquid efficiant, vel caveant: ita dæmones in virtute, & potestate nominis divini recedere compelluntur. Quamvis non contenditur, ut ipsi propter Dei honorem aliquid faciant. Quod benè notat *Valentia* proximè alleg.

16 Potestas autem hæc non innititur sanctitati ministri, etsi ea non parum juvet, sed invocationi nominis divini, fidei, & sanctitati Ecclesiæ, in cujus persona exorcismi ab ejus ministris dicuntur. Sicut nec sacramentorum efficacia à ministri sanctitate pendet. Ita *D. Thom.* & aliis alleg. docet *Suarez n. prac.* relat. Et latiùs *Thyræus de dæmoniacis, toto cap.* 39. Quare exorcismi non ex opere operantis solo, sed ex opere operato habent eam vim dæmonis expellendi. Sicut & sacramenta conferendæ gratiæ. Ut colligitur ex *D. Thom. 3. p. q.71. art.* 3. & docet *Sotus 4. d.6. qu.2. art.3.* Christus enim facultatem tribuit Ecclesiæ hos exorcismos instituendi, quibus tamquam instrumentis ministri Ecclesiæ virtute Christi dæmones expellunt. Et quamvis aliqui credant exorcismos habere hanc efficaciam infallibiliter, secundùm ordinariam Dei legem, dæmonum expellendorum: impediri tamen quandoque ob modicam ministri fidem: sicut & gratia est infallibilis sacramentorum effectus, nisi recipientis obex obstet. Quod dicit esse valde probabile *Valent, 2. 2. disp. 6. q.3. punct. 2. q.2.* At verius est non esse infallibilem hunc effectum, sed ex congruitate quadam. Atque ita verba Christi, *Marci ultimo, In nomine meo dæmonia ejicient*, non tam significant absolutam ea de re promissionem, quàm id plerumque esse futurum, quando expediret. Non enim ob solam ministri, aut dæmoniaci culpam, quandoque dæmones non expelluntur, sed etiam ex occulto Dei judicio propter majorem animæ utilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum: teste *D. Aug. l.83. quæstionum, q.79.* Atque ita docent *Victoria de magia q.6. n.24. Sotus, Valent. Suarez* proximè allegat. *Thyræus de dæmoniacis c.47. n.6. Delrius l.6. disquisitionum magicarum c.2. q.3. sectione 3. remedio 4.*

17 Nec solent exorcismis omnes molestiæ repelli, quas dæmones hominibus inferunt: sed eæ solæ, ad quas repellendas ab Ecclesia ordinantur. Ut sunt molestiæ, quas inferunt manendo in corporibus, & illa vexando: sive dum interiùs manent, sive dum exteriùs obsident, & illas regulariter fanant. At maleficia, & alia damna, quæ nobis inferunt, contra quæ non ordinantur directè exorcismi, non tolluntur per eos, nisi rarò. Ita docet alleg. *Abulensi Delrius n.prac.* relatus.

18 Quarta conclusio. Hæc arcendi dæmones potestas, eosque expellendi non est omnibus tradita, sed solis ministris rite ordinatis in Ecclesia, nempe, exorcistis. Quod colligitur ex eo *Actuum* 19. ubi filiis Scevæ eam potestatem usurpantibus objecit dæmon, *Jesum scio, & Paulum novi: vos autem qui estis?* Ita *Sylv. verb. Exorcista, n. unic. Valentia 2. 2. disp. 6. q.3. punct.2. q.2. col. penult. vers. Item ad primum, Delrius leg. disquisition. magic. post 6. librum, in Anacephaleosi monitione 10.* Qui benè addit non minùs potestatem hujus concessam esse exercitis, quàm etiam Episcopis, sed ex sola honestate, ac recto Ecclesiæ usu, non debere clericum inferioris ordinis id facere præsente clerico superioris ordinis, ipso invito. Hoc autem intelligit *Syld, ibidem* de potestate competente ex officio, nam potestate (inquit) generaliter omnibus tradita possunt omnes exorcizare. Quod etiam clarè significat *Victoria de magia n.23.* ubi ait majorem potestatem habere exorcistas ad expellendos dæmones, quàm non promotos ad eum ordinem: & ita clarè sentit hos quoque posse id efficere. At hoc benè explicat *Suarez to.2. de relig. l.4. de adjuratione c.2. n.10. & 11.* sic distinguens: Si adjuratio sit solemnis, & publica, secundùm formam ab Ecclesia institutam, solis ejus ministris promotis ad exorcistarum ordinem competit. Si autem sit privata, possunt alii ea uti. Et quidem si modus est visibilis, ut quando dæmon corporaliter obsidet hominem, si expulsio sit efficax, & extraordinario modo, pertinet ad miraculorum potestatem, & ideò tantari non potest absque speciali Spiritus Sancti instinctu. Si verò sit privatus, & occultus, vel invisibilis, competit cuicumque. Sicut quando quis à dæmone tentatur, potest ipsum adjurare *in nomine Domini*, ut recedat.

19 Quinta conclusio. Nulla ratione est licitum alicui dæmones adjurare adjuratione deprecativa, idest, ipsum dæmonem precando, ut ob Dei nomen exeat è corpore obsessi: nec etiam imperativè, aut deprecativè præcipiendo, aut rogando, ut nobis dæmones aliquod obsequium, qualiscumque generis sit illud, aut qualecumque beneficium præstent. Quod docent *D. Tho. 2. 2. quæst. 90. art.2. & ibi Cajetan. art.1. D. Anton. 2. p. tit. 10. c.8. Sylvester verb. Adjuratio, q.7. & ibi Angelus n.2. & 4. Tabiena n.6. Sotus lib.8. de just. q.3. art.2. Suarez tomo 2. de relig. lib.4. de adjuratione c.2. n.8. & 9. Leonardus lib. 2. de just. c.42. dub. 13. nu.70. & 71.* & latissimè probans ex multis Scripturæ, Sanctorum testimoniis, & rationibus, solvensque contrarias, & dicens esse de fide, *Valentia 2. 2. disp.6. quæst.8. puncto 2. q. 2.* Et contrarium facere est culpa mortalis gravissima. Ut benè docent *Cajetan. ibidem Sylvester ea q.7. & qu. 5. Tabiena eo n.6. concl.7. Armilla verbo Adjuratio, in fine, Navarr. summa c. 11. Hispanè n.27. Latinè n.28.* Et ratio est, cur non imperativè, quia Christus non reliquit potestatem Ecclesiæ adversùs dæmones, nisi ad eos arcendos, vel repellendos tamquam hostes, ne nobis noceant. Quod est ab eorum societate recedere. At velle uti eorum ministerio, & obsequio, pertinet ad quoddam pactum, & societatem cum ipsis. Cur autem non etiam deprecativè liceat petere etiam, ut exeant à corpore, ex se constat. Quia tunc beneficium ab eis liberaliter conferendum expectatur. Quod est quædam pacti, & societatis cum ipsis inchoatio. Item quia quidquid dæmon sua sponte in nos confert, id omne ab hostili ejus animo in nos, & in ipsummet Deum proficiscitur. Semper enim eò spectat, ut Dei gloria obscuretur, & nos ipsum offendentes æternam damnationem incurramus.

20 At si scientia quæcumque naturalis, aut virtus quæcumque rei naturalis, semel cognita est ipso dæmone monstrante, nil obstat, quominus postea quis possit licèt illa uti, dummodo effectus naturalis sit, nec præsentem dæmonis concursum requirit. Quia illa scientia naturalis est, & quamvis malè parta sit, jam id malæ acquisitionis peccatum transiit, nec inde aliquod vitium scientia naturalis, aut virtus naturalis cognita contraxit. Ita docent *Victoria de magia, q.4. n.15. Valentia 2. 2. disp.6. q.13. puncto 2. col.5. vers. Quarto neque, Delrius lib.2. disquisit. magicarum, q.4. litera F. vers. Patium tacitum, ut si quis, Suarez tomo 1. de religione, lib.2. de superstitione c. 15. n.24. in fine, & c.17. nu.1. & 2.* ubi benè limitat, dummodo conservatio ejus boni jam non pendeat à dæmonis ope. De conservatione divitiarum dixi *c. prac. n.2.*

21 Hinc deducitur non esse approbandum, quod ait *Sylv. verb. Adjuratio q.5.* nempe, licere adjuratori præcipere dæmoni superiori, ut inferiorem è corpore pellat. Id enim non licere optimè ait *Sotus lib.8. de justit. q.3. artic.2. immediatè ante vers. Hujus autem.* Quia hoc est aliquod beneficium à dæmone recipere. Item constabit ex dicendis *n.seq.* Idem docent *Suarez to.1. de relig. lib.2. de superstit. c.18. n.8. Leon. lib.2. de just. c.44. dub.6. n.46.*

22 Secundò deducitur, non licere adjurando invocare dæmonem, ut auxilium præstet contra tempestates, & alia frugibus nocentia. Sic *D. Thom. 2. 2. q.90. art.3. in fine, Sotus lib. 8. de just. q.2. art.3.* & omnes. Redditque *Sotus* hanc rationem, quia etsi posset dæmon superior inferiorem arcere, ut ab eo damno inferendo cesset, minimè tamen licere id ab eo petere, ne beneficium ab ipso recipiatur.

23 Sexta conclusio. Adjuranti integrum est, dæmonem ex corpore pellendum interrogare ea, quæ expulsioni conducunt. Quia hoc non est velle societatem inire cum ipso, sed ab ea recedere. Item quia sicut licet adjurando imperare illi, ut exeat, ita licet compellere ipsum ad conducentia exitui. Et ita docent *Leonard. in lib.2. de justitia, in c.42. dub.13. n.71. Sylvest. verb. Adjuratio, q.5. Val. 2. 2. disp.6. qu.8. puncto 2. col. ult. vers. Ad secundum respondeo, Thyræus de dæmoniacis, c.46. n.23.* Unde licet interrogare nomen. Quia confert, ut præcepta, quibus adversùs eum utimur, nominatim dirigamus. Ita *Leonard, Sylv, & Thyræus ibi, Delrius l.6. disquis. magic. cap.3. lit. B, in fin.* Item licet causam ingressus interrogare. Quippe eam nosse confert, ut ea remota, si tolli possit, minor sit dæmonis in hominem potestas. Et si sit aliquod obsessi peccatum, ut adstantes à similibus caveant, & eo expiato faciliùs sanetur energumenus, Ita *Leonardus Sylv, Thyræus, & Delrius ibi.* Item licet

licet interrogare, an sit unus dæmon, an plures in eo corpore. Quippe confert, ut norit exorcista, cum quot hostibus pugnet, omnesque à corpore egredi imperet. Ita *Sylvest. Thyræus, Leonard, Delrius ibid.* Atque ita in Sacerdotali Romano docentur exorcistæ hæc omnia interrogare. Quamvis enim dæmones sæpè mentiantur, at quando divina virtute ex sacrorum hominum adjurationibus adiguntur, ut causas fateantur, propter quas hominibus molesti sunt, non dubitandum, quin ipsis fides haberi possit. Ut benè probat *Thyræus de spiritibus apparitionibus, cap. 15. n.20.* Atque (ut benè ait *Delrius* proximè allegatus,) exorcismis cogitur dæmon veritatem fateri.

24 Licitum quoque est interrogare non deprecativè, sed coactivè, aliquam veritatem ad peculiarem Dei gloriam, & adstantium utilitatem, quando adjurans prudenter judicaverit id expedire. Quia tunc hostiliter agitur cum illo, tunc que calcatur, & cogitur. Nec enim ad Dei gloriam, & spiritualem adstantium utilitatem sponte dicit. Ita *D. Thom. 2. 2. q.95. art.4. ad 1. Cajet. 2. 2. q.90. art.1. in fine, Tabiena verb. Invocatio, n.2. q.1. & verb. Adjuratio, n.6. concl.10. Sotus l.8. de just. q.3. art.2. circa solut. ad 2. vers. Primo argum. subnotatur*, & omnes. Sed addunt *Cajet. Tabiena, & Sotus*, id non faciendum, nisi à sanctis viris, imò *Sotus* dicit à sanctissimis viris, qui potestatem à Deo accepere compellendorum dæmonum ad hæc vera fatenda.

25 Ex levitate tamen, & curiositate quadam, res vanas, & inutiles interrogare dæmonem in energumeno existentem, est veniale, propter actus imperfectionem. Ita docent *Cajet. 2. 2. q.90. art.1. ad fin. Et in summ. verb. Interrogatio, in interrogationibus circa primum præceptum, vers. Sextum est, Sylv. verbo Adjuratio, q.5. in fin. & q.7. Armilla verb. Adjuratio, n. ult. Leonard.* ubi eum retuli, *n.23. Suarez to.2. de relig. l.4. de adjuratione, in c.2. n.9. Tabiena verb. Invocatio, q.1. n.2. Sotus num. prac.* relatus, *Navarr. summ. c.11. Hisp. n.27. Lat. n.28. Medina l.1. summ. c.14. §.2. fol.78. Pedraza summ. in 1. præcepto §.10. Valentia 2. 2. disp.6. q.8. col. ult. vers. Ad 3.* Hoc tamen limitandum est primò, quando unum, aut alterum verbum interrogatur; at longos sermones cum dæmone commiscere, ait *Sotus* periculosum esse. Et *Cajet.* excusat à mortali *eo ar.1.* quia quasi obiter fit. Unde etsi Auctores non explicent id esse mortale, credo re vera esse. Quia negari nequit, rem esse gravissimam, & maximo periculo expositam, longos vanos cum dæmone sermones miscere. Secundò, dummodo ea interrogatio non fiat deprecativè, sed imperativè. Quia deprecativè interrogare pertinet ad amicitiam cum ipso, & ita semper est mortale. Ita *Sylvest. & Armilla eisdem locis.* Tertiò, dummodo intentio non sit addiscendi aliquid à dæmone. Tunc enim esset mortale. Quia est aliquod ab illo beneficium expectare. Ita *Armill. ibid.* Quartò, dummodo interrogans non firmam, & certam dicto dæmonis fidem habeat. Quippe id esset valde honorare dæmonum, atque interroganti valde periculosum. Ita *Sylv. & Armill. ibi.* Ultimò, nisi credatur fore, ut dæmon occultum alicujus peccatum detegat. Tunc enim mortale esset, ob infamiæ proximi periculum. Atque ita docet *Medina ibid.* Tandem ex imperfectione actus esset quoque veniale efficere, ut dæmon in energumeno existens aliquid vanum faciat; ut movere lapidem. Ita *Cajet. eo art.1. ad fin. Tabiena verbo Invocatio, nu.2. quæst.1.* Quod intelligo juxta 2. limitationem proximè traditam, nimirum, ut id non petatur deprecativè à dæmone.

26 Cavendum autem exorcistis, ne cum dæmone jocentur, nugaciave misceant. Quia cum sancta res sit dæmones ejicere, sanctè tractanda est. Ita *Delrius lib.6. disquit. magicarum c.2. q.3. sect.3. in remedio 4.* ubi & refert quoddam grave supplicium Dei, quod exorcistæ cuidam cum dæmone nuganti contigit. Qui etiam (post illum *l.6. in Anacephaleosi, monitione 10.*) optimè ait monendos quoque exorcistas esse, ut superfluis cum dæmone colloquiis abstineant, sed statim imperent illi, ut taceat. Quia (ait) accedunt multi causa audiendi sermones, quos ultro citroque dæmon, & exorcista miscent; & solet dæmon nonnullos morum, fideique errores docere, impetrareque ut adstantes aliquibus vanis, & superstitiosis utantur, diffamat innocentes, aut vera occulta crimina detegit; aliquos dicit se timere, ut eos impellat ad superbiam. An verò iis, quæ dicunt dæmones, sit credendum, diximus *n.23.* & alia *hoc lib. c.38. n.24.*

27 Integrum quoque est exorcistæ dæmonem in infernum amandare. Quia illi is locus à Deo paratus est. Ita *Thyræus de dæmoniacis c.46. n.23. Delrius lib.6. disquisitionum magic. c.3. lit. B in fin.* Additque (& benè) licere eum in desertum quoque locum trudere, ubi hominibus nocere nequeat; & hæc loca exorcistam tantùm definire sub spe divinæ ratificationis. Quippe ejectionis promissionem habemus, exilii autem illius exempla quædam, non tamen promissionem.

28 Sed specialis difficultas est de petitione signi à dæmone, quo testetur se à corpore exire, & fore, ut numquam redeat. Nam *Sotus l.8. de just. q.3. art.2. circa solut. ad 2. vers. Primo argumento subnotatur; & Ciruelo de superst. 3.p. c.8.* hoc tamquam superstitiosum damnant; imò *Sotus* ait superstitiosissimum, & nullo modo ferendum. Idque tantùm probat, eò quòd sit mendacii pater, ac proinde nec ipsi, nec ejus signis fides habenda est. At si hæc ratio aliquid probaret, concluderet utique fore superstitiosum interrogare etiam alia, quæ *n.23.* diximus licere interrogare: ubi probavimus aliquando posse credi dæmoni coacto adjuratione ad manifestandam veritatem conducentem ad suam expulsionem. Qualis est hæc traditionis signi, quod est extinctio luminis, vel vitri alicujus ruptio, vel aliquid aliud. Et sicut exorcismis cogitur, ut relinquat sua domicilia, ita etiam ut discessus signum det, ut de parta à nobis victoria constet. Tandem, quia in Sacerdotali Romano instruitur exorcista, ut hoc signum petat. Quare dicendum est licere id petere. Et ita tenent *Thyræus de dæmoniacis, c.46. n.23. & c.52. n.4. & c.53. num.4. Delrius l.6. disquisit. magic. c.3. lit. B in fin. in vers. Addunt adjurationi, & c.2. q.3. sect.3. in 4. remedio.* Fateor tamen ex hac signi traditione non adstrictum esse dæmonem ad non redeundum, sed si non redeat, est, quia non vult, aut ex aliqua alia causa eum cogente. Ut docet *Abulensis 1. Regum 16. q.41.* Securiores tamen nos reddit de suo discessu, & de non reditu.

29 Secundò dubitatur de flagellis, & alapis, quibus exorcista Dæmoniacum percutit, an id superstitionem sapiat? *Simanc. de cathol. instit. tit.63. n.32.* allegato *Barthol. Sibylla* ait errare, qui dæmoniacos flagellis aut alapis cædunt, quia dæmon fingit se dolere, aut affligi, ut fatuos decipiat, & ut corpora illa torqueantur. Et *Delrius l.2. disquisit. magic. q.3.* 00 *sect.3.* ait sibi non placere Catholicorum quorumdam credulitatem, seu superstitionem, qui dæmoniaci flagellationibus eam vim tribuunt, ut putent iis dæmonem malè affici, irritari, aut exagitari, magisque ait augeri dæmoniaci morbum afflictione, ac dolore flagellorum; & ex ira ac tristitia cumulari dispositiones atrabiliarias dæmoni optatas, & proinde dum hi dæmoni nocere volunt, magis eum juvant. At *Thyræus de dæmoniacis c.46. num.31.* multis Sanctorum exemplis comprobans, ait percutere flagellis, & alapis, atque aliis modis obsessos punire, non sapere superstitionem, sed licitum esse. Idque ob duplicem causam. Altera est, quòd dæmon nimis confundatur, dum hæc tamquam contemptus sui argumenta assumi intelligit. Altera verò, quòd ab ipsius etiam dæmonis ejectionem hæc valere videantur; eò quòd diffolvuntur conditiones, quas ipse in humano corpore postulat, & proinde aufugit, utpote qui aptum sibi domicilium minimè invenit. Sed quid in hac re sentiam, explicabo *n. sequ.* Quia eadem est de utroque casu ratio.

30 Atque idem dicunt *Simancas, & Delrius v. prac.* alleg. de fumo hypericontis, rutæ, & cornuum, stercorisque caprini, quo defatigari solet aliquando dæmoniacus ab exorcista; id enim damnant eodem modo, ac eadem ratione, quibus flagellationem. Id etiam tamquam superstitiosum damnat *Ciruelo de superstit. 3.p. c.8.* Id quoque superstitiosum ait *Abulensis 1. Reg. c.16. q.42.* at cum hac limitatione, quasi hujus fumi virtute possit dæmon pelli, eum applicando. Sed dicendum est de flagellationibus, fumo, & sputo, quibus dæmoniacus ab exorcista defatigatur, si hæc adhibeantur tamquam virtutem aliquam habentia directè ad dæmones expellendos, aut affligendos, manifestè esse superstitiosa. Quia nullam rem corpoream id efficere posse probavimus *n.* 10. Et ita optimè, & cautissimè *Abulensis* proximè allegat. cum hac limitatione hæc tamquam superstitiosa damnavit. At si non ea existimatione adhibeantur, sed quasi dæmonem confundentia, & in ipsius contemptum, & contumeliam, ut vel sic se contemni in eo domicilio minimè patiens tamquam superbissimus, illud deserat, non sunt superstitiosa, sex se licita. Ut optimè dixit *Thyræus nu. prac.* alleg. Et ita relato *Guillelmo, Philiarchus de officio sacerdotis, to. 1. p.2. lib.3. c.11.* dicit multos sanctos dæmonem expulisse exspuendo in eum. Quia dæmon (ait) se contemni videns torquetur, & ideo aliquando recedit. Posset tamen exorcista aliquando alia ratione peccare, si imprudenter se gereret percutiendo graviter, aut nimis eo fumo molestando dæmoniacum. Cum enim ea in solam dæmonis contumeliam, ejusque contemptum fiant, & non quasi corporaliter affligentia, satis est; si moderata sint, ita ut corpus dæmoniaci minimè torqueant, sed solam dæmonis superbiam, eum contumelia illa afficiendo.

31 Nec etiam superstitiosum est, sed licitum, applicare aliquas herbas medicinales, aut alia medicamenta dæmoniaco. Ut diximus *n.10.* Idem non sit, quasi ea vim contra dæmones habeant, sed ad medendum morbo. Ex quo fit, si exorcista in aliquo libro de hoc tractante invenerit aliquas medicinas ægro applicandas, teneri eas medico relinquere. Quia cum ipse medicandi artis ignarus sit, poterit facilè errare. Ita *Philiarc. n. prac.* alleg.

32 At superstitiosum, & vanum est præcipere dæmoni sub pœna excommunicationis, ut exeat. Quia dæmonem excommunicationis incapaces esse constat. Quare dum in Sacerdotali Romano instruitur exorcista, ut id præcipiat, non sumitur excommunicatio propriè, sed pro execratione, & maledictione. Ut benè ait *Suarez 5. tom. in 3.p. disp.5. sect.1.* Et hoc modo id est licitum.

33 Licitum quoque est, nomen dæmonis in aliqua papyro scribere, & id scriptum comburere. Et ita dicitur faciendum in Sacerdotali Romano. Quia id fit in dæmonis contemptum, & contumelia afficiendi ipsius gratia. Ut in simili dixi *num. 30.* & docet *Philiarc. ibi* allegat. At superstitiosum est, & magia manifesta radere pilos, aut capillos dæmoniaci ad expulsionem dæmonis. Quod benè docet *Vict. de magia numero 16.*

34 Vanum verò est uti terminis judiciariis erga dæmonem, præcipiendo, ut nunc exeat, & iterum tali die se judicio

judiciò sistat. Quare monendi sunt Exorcistæ, ut hisce minus abstineant. Quia lis non intentatur cum dæmone, nec exorcista est eius judex. Ita *Delrius l. disquis. magic. post l. 6. in anacephaleosi monitione* 10.

35 Ex dictis potest colligi, quando exorcistæ superstitiosi sint. Sed aliqua sunt, quæ ipsos valde suspectos reddunt de superstitione, ac pacto cum dæmone. Primum est, si laici, aut clerici sola prima tonsura insigniti exorcizandi munus quasi ex officio, aut peculiari Dei privilegio sibi usurpent. Quia cum id privilegium non ostendant, & certum sit id munus illis ex officio non competere, suspecti valde sunt. Ita *Delrius num. prec.* alleg. II. est, si quis clericus aut Religiosus quasi peculiare sibi vendicet plus virtutis ad Dæmones exorcismis expellendos sibi inesse quàm cæteris ejusdem ordinis. Quia, cum contrarium sit verum, ut diximus *nu.* 18. hi sunt clarè mendaces, nisi peculiare Dei privilegium ostendant. Et ita docent *Delrius ibidem, & Ciruelo de superst.* 3. *p. c.* 8. At benè concedendum est aliquos majori dexteritate præditos esse ad exorcismos contra dæmones adhibendum; meliusque nosse, quo pacto dæmones in energumenis tractandi sint. Tertium est, si peculiaribus exorcizandi formulis, & ritibus diversis à communibus Ecclesiæ utantur. Ita *Delrius, & Ciruelo ibid.* Quartum est, si vocibus ignotis utantur, quas solis dæmoniacis ad aures dicunt. Quia adhibere nomina ignota, & modus clam dicendi, eos meritò suspectos reddunt. Ut in simili diximus *hoc eodem lib. cap.* 40. *n.* 9. & 22.

36 Tandem circa dæmonis adjurationem dubitatur, an liceat exorcistis connivere petitioni dæmonis ab obsessi corpore egressuri? Breviter dicendum est, licitum esse connivere, quando rem iniquam non petit; eò quòd ea nec contra Dei honorem, nec contra proximi utilitatem sit. Ut si petat non relegari in infernum, aut novis malis non affici. Id enim non est aliquid tamquam amico concedere, sive placere velle, sed ut facilius à corpore obsesso egredi cogatur. Et ita docet *Thyræus de dæmoniacis c. ult. à nu.* 1. *usque ad* 8. Si tamen dæmon petat ad alium hominem transire, aut eum vexare; regulariter, & ferè semper, illicitum est connivere. Quia est in proximi damnum. At id liceret quadruplici concurrente conditione. Prima est, ut is, quem dæmon possessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. Secunda, ut adjurans habeat jus, & imperium in eum, quem dæmoni traditurus est, atque potestatem in ipsum dæmonem, summumque jus ad ipsum expellendum, quandocumque libuerit. Tertia est, ut adsit boni majoris spes. Quia licitè speratur, fore, ut hac ratione proximus juvetur, qui aliis rationibus juvari posse non videbatur. Quarta est, ut absit voluntas placendi dæmoni, sed id tantùm fiat ad utendum ipso tamquam lictore, & carnifice. Ita docet *Thyræus eo c. ult. à n.* 8. *usque ad* 14. Tandem etsi integrum sit, in prædictis connivere dæmonis petitioni; at non tenetur ad id exorcista. Ut benè docet *Thyræus ibi, in fine.*

37 Septima conclusio. Adjurare creaturas non rationales fructibus nocentes, ut locustas, pulgon, nubes, &c. dirigendo sermonem ad ipsa, quasi ipsæ se moveant, & ex se efficiant nobis adversa, est vanum. Quòd nec ipsæ movere se valeant ex intentione ad nocendum; ut evenit in animalibus irrationalibus; aut nullo modo se moveant, ut evenit in nubibus, & tempestatibus, nec omnia hæc adjurationis percipiendæ capacia sint. At integrum est ea omnia adjurare, quatenus ab alio moventur ad nocendum nobis. Cum ergo possint, & à Deo, & à dæmone ad id moveri; quando moventur à Deo, adjuranda sunt deprecando Deum, ut id malum avertat; quando verò à dæmone, imperando illi ne moveat, sed nocere desistat. Ita *D. Them. 2. 2. qu. 90. art. 3.* ab omnibus receptus. Adjurare autem hæc priori modo, ait *Navv. libr. 5. conf. tit. de sententia excomm. in 1. edit. conf. 5. n.* 10. *in 2. conf. 2. n.* 10. esse mortale. Quia non est res levis, sed est quasi ridiculos facere exorcismos Ecclesiæ. Et videntur favere *Ang. verb. adjuratio in fin. & ita Tabiena in fine*, dicunt enim adjurationem illicitam esse ex se, sive ex genere suo mortalem. Sed re vera non favent, quia ad hoc satis est, ut intra suam speciem possit esse quandoque mortalis, & cum hoc stat in hoc casu eam esse venialem ratione levitatis materiæ. Quod plus mihi placet, quia est sola vanitas quædam, nec animus sic adjurantis est ridiculos facere exorcismos, eosve contemnere. Atque ita docent *Sylv. verbo adjuratio in fine, & ibi Tabiena n. ult. conclus.* 11. *Margarita Confessorum in 1. præcept. f.* 63. *Suar. tom. 2. de relig. l. 4. de adjurat. c. 4. n.* 12. *in fine*. Quia tamen nobis non constat, an à Deo, an à dæmone moveantur, utitur Ecclesia utriusque exorcismis, nempe orando Deum, & imperando dæmoni.

38 Quare etsi in exorcismis quandoque verba adjurationis ad ipsasmet creaturas irrationales dirigantur, non est intentio dirigendi, quasi ipsæ adjurationi connivere debeant, avertendo malum; sed verè adjuratio ad motorem dirigitur, ad ipsas autem aliquo modo, utpote in quibus recipitur illa operatio, seu effectus, nobis adversus, quem per adjurationem avertere conamur. Ita *Val. 2. 2. disp. 6. qu. 8. puncto 2. ad fin.*

39 Ultima conclusio. Superstitiosum, & vanum est, quod quidam irrationalium horum adjuratores admiscere solent. Quandoque enim se judices constituunt ad dirimendam litem inter hæc irrationalia, & plebem, cui nocent; instituuntque accusatorem, & advocatum, & irrationalium procuratorem, & dant accusationis copiam, audiuntque procuratoris defensionem; ac tandem utriusque partis rationibus auditis sententiam proferunt. Quippe si lis contra irrationalia intentetur, sunt litis, & sententiæ percipiendorum incapacia. Et si adversùs dæmones, à quibus moventur, nil refert illos accusare, aut defendere. Atque ita docent *Sotus l. 5. de just. q. 12. art. 2. in fin. & l. 8. q. 3. art. 3. in fin. Navv. l. 5. consil. tit. de sentent. excomm. in 1. edit. toto conf. 5. in 2. toto consil. 2.* ubi latissimè constat *Chassanæum consu. 1. nu. 124. & sequent.* qui hæc defendit, *Ciruelo de superst. 3. p. c. 10. Valentia eo punct. 2. in fin. Delrius l. 5. disquisit. magic. p. 2. q. 4. sect. 8. pag. 2. & post l. 6. in Anacephaleosi, monitione* 11. Quare malè *Anonymus tract. 2. de exorcismis, paulo post medium*, fieri consuluit, & docet. Sunt etiam superstitiosi, qui dum hæc adjurant, pugnare contendunt cum nubibus, & locustis, &c. Quia eam pugnam nil conferre manifestum est. Ita *Sotus eo lib. 8. qu. 3. art. 3. in fine*. Superstitiosi quoque sunt hæc excommunicantes. Quia excommunicationis incapacia sunt. Ita *Sotus utroque loco, & Navarr.* proximè allegat. *Idem Navarr. summ. c. 27. n.* 13. *Suarez tomo 5. in 3. p. disputat. 5. sect. 1. in fine, Manuel 1. tomo summ. in 2. edit. c. 78. in fine, Enriquez l. 13. de excomm. c. 25. n. 1.* Nec obstat, ajunt *Navarr. eod. conf. n. 12. & Manuel eo n. 78.* sæpè hæc sententiæ obedire, ac nocere desinere; quia id non proficiscitur ex virtute sententiæ, sed ex potestate dæmonis auferentis ea animalia nocentia; ut vel sic vana hæc, & superstitiosa hominibus persuadeat.

40 Tandem superstitiosi sunt, & virtute pacti cum dæmone id efficiunt, quia jactitant se habere potestatem; nubes, ac reliqua frugibus contraria, ex certo loco expellendi. Quia si dicant esse supernaturalem, tenentur eam probare. Ut diximus *hoc lib. c.* 40. *n.* 44. Si naturalem, ea vis nulli inesse. Nam si hæc avertere valent, cur non incendia, & alia nocentia? Cur etiam nequeunt bona adducere, ut pluviam tempore siccitatis? Quibus, & aliis rationibus hoc optimè probat *Delrius de disquis. magic. post lib. 6. in Anacephaleosi, monitione* 11.

CAPUT XLIII.

De licito Reliquiarum Sanctorum usu.

SUMMARIUM.

Reliquiæ Sanctorum venerandæ sunt, Et quo cultu? n. 1.
Quid nomine reliquiarum intelligatur? Et an conversa in cineres, & vermes adorandæ sint? n. 2.
Cultus publicus quis sit? Et an soli Sancto canonizato sit exhibendus? n. 3.
Cultus privatus an possit Sancto non canonizato exhiberi? numero 4.
Explicatur quos cultus liceat, & quos non liceat Sancto non canonizato deferre à n. 5. *usque ad* 8.
Et quid sit altare alicui Sancto dedicare? n. 7.
An possit Episcopus instituere festum Sancti non canonizati? numero 9.
An possit Episcopus ex facultate Tridentini Sancti alicujus antiqui nondum canonizati reliquias approbare, ut publicè venerentur? num. 10.
An sufficiat traditio, aut communis Ecclesia consensus illum Sanctum reputantis? n. 11.
An possit, si ea mixta sint cum reliquiis Sancti canonizati? numero 12.
Qualis certitudo reliquiarum Sancti canonizati desideretur, ut privatim, & absque conditione venerentur? n. 13.
Qualis certitudo, ut publicè, & absque conditione venerentur? Et an possit Episcopus ab hoc illas approbare? n. 14.
An possit extra suam diœcesim id facere? eod. n. 14.
Quam diligentiam teneatur adhibere ad hoc? Et an solus ipse habeat votum decisivum? n. 15.
An subortæ quæstione sit opus Concilio Provinciali, & teneatur sequi suffragia majoris partis? n. 16.
Qualiter Crux reliquiarum in altari collocetur, antequam illa sint per Episcopum approbata? n. 17.
Reliquiæ Romæ allatæ cum Bulla Apostolica, aut aliunde cum sufficienti testimonio an sint necessario, ut publicè colloceutur approbanda ab Episcopo, & exigatur diligentia in Tridentina præscripta? n. 18.
Quando reliquiæ sunt dubiæ, quid faciendum? n. 19.
An liceat reliquias in collo gestare, & sit specialis malitia tunc fornicari? Et qualis culpa sit, falsas reliquias proponere? Remissivè, num. 20.
An reliquiæ possint extra capsam ostendi? n. 21.
An liceat eas venales, aut causa quæstus exponere? Et quando sic exponi dicantur? n. 22.
An liceat reliquias furtivè subtrahere? n. 23.
An sint hi excommunicati? n. 24.
An si sepulta sint, liceat eos alio transferre? n. 25.
An liceat laico eas tangere? n. 26. *Et ibi an clericis minorum ordinum liceat eas in processionibus portare?*
An liceat laicis, vel clericis minorum ordinum agnos Dei tangere? num. 27.
An liceat agnos Dei depingere? n. 28.
An liceat eos vendere? n. 29.

1 Quia debitus reliquiarum usus ad Dei, & Sanctorum cultum pertinet, ideò in hoc primo præcepto, quod de Dei, & Sanctorum cultu est, instituì in hoc ultimo capite, de licito reliquiarum usu aliqua tractare. Quæ brevi quibusdam difficultatibus propositis explicabo. Et præmittendum est, pium esse, ac Sanctum reliquias Sanctorum venerari. Quod est, de fide, & latissimè contra hæreticos defendunt ex Neotericis *Bellarminus l. 1. de Sanctis a c. 1. usque ad 4. Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 8. à qu. 1. usque ad 4. & c. 10. à qu. 6. usque ad nonum, Valentia 2. 2. disp. 6. q. 11. toto punct. 6. Suarez tom. 1. in 3. p. q. 25. art. 6. disput. 55. Vasquez de adoratione imaginum, lib. 3. disp. 3. à num. 78. per plures.* Qui optimè probant eumdem cultum illis exhibendum, qui sanctis ipsis, quarum sunt, debetur.

2 Intelliguntur autem reliquiarum nomine, ipsa sanctorum corpora, & quælibet corporum particulæ, sive ossium, sive carnium, capilli, ungues, dentes, cineres, aut pulveres, in quæ conversa sunt, & alia, quibus tempore vitæ usi sunt, & vela, panni, & alia, quæ ad eorum corpora, vel ossa admoventur, vel quæ ipsa tetigere, ad ipsave pertinent: ut benè tradit *Azar. l. 9. inst. moral. c. 8. qu. 1.* Quòd si quæras, cur cineres, aut pulveres, in quæ ea corpora convertuntur, adorentur; non autem vermes, qui ex ipsis corporibus Sanctorum fiunt, cum utrobique sola Sanctorum materia prima superstet? Optimam hujus rationem tradunt *Vasquez. de adoratione imagin. l. 3. disp. 3. c. 8. n. 124. & Suarez 1. tom. in 3. p. disp. 55. sect. 1. in fine*, quia quod in reliquiis manet, solùm adoratur propter habitudinem ad personam, cujus reliquiæ fuerunt, quæ est relatio rationis, seu moralis quædam dignitas, in quantum commodè, & decenter in illis apprehenditur ipse sanctus, ut adorabilis. Quare cum ad eum statum perveniunt, ut adoratio indecens sit, nec in illis decenter apprehendatur sanctus, cessat earum adoratio. Quod contingit, quod sunt in vermes transmutatæ. Addit tamen benè *Vasquez*, etsi recta intentione, & sincera fide possit quis in vermibus sanctum apprehendere, & venerari; at publicè proponere eos vermes adorandos non licere.

3 Prima ergo difficultas sit. An attento jure communi reliquiæ viri nondum in sanctorum numerum à Papa cooptati possint adorari? Breviter sic distinguendum est, si de publico, & solemni cultu loquamur, solius sancti à Papa in sanctorum numerum relati idest, *canonizado*, reliquiæ venerari possunt. Quod constat ex *c. 1. & c. finali, de reliqu. & vener. sanct.* Et fatentur omnes. Dicitur autem publicus, & solemnis cultus, non eò quòd coram aliis exhibeatur; sed ille qui totius Ecclesiæ nomine, & tamquam ab ea institutus exhibetur. Ut benè ait *Bellarminus lib. 1. de sanctis c. 10.* Et speciatim constabenè ait *Bellarminus lib. 1. de sanctis c. 10.* Et speciatim constabit ex dicendis *à nu. 5. usque ad 9.* ubi explicabitur quis dicatur cultus privatus, qui potest deferri sancto nondum canonizato.

4 Cultus autem privatus deferri potest nondum in sanctorum numero a Papa adscripto, ejusque reliquiis. Constat ex *d. c. finali*, ubi hujusmodi sanctum publicè honorari interdicitur. Quare à contrario sensu privatus honos permittitur. Atque ita docent *ibi Anton. n. 6. Alb. n. 3. Card. notab. 4. Anchar. n. 2. Innoc. c. 1. eod. tit. in fin. ubi Host. in fin. Joann. Andr. num. 6. Glossa c. unic. verb. Sedis, de relig. & vener. sanct. in 6. Sylv. verb. Reliquiæ, in initio*, ubi & reliqui Summistæ, *Bellar. n. preced.* alleg. *Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 8. q. 8.*

5 Hinc deducitur, licere hujusmodi virum credere, & vocare sanctum, ac ipsum invocare, etiam aliis audientibus. Sicut fecere *D. Gregorius Nazianzenus* in vita D. Athanasii, & D. Basilii, & *D. Hieronym.* in vita D. Paulæ, antequam essent canonizati. Et constat, quia oramus viventes, quamvis eos sanctos esse nos lateat. Cur ergo non licebit defunctos orare, quos majori ratione sanctos esse confidimus? At non liceret eum prædicare tamquam sanctum, in sanctorum catalogo à Pontifice inscriptum. Nec liceret etiam in publicis litantiis, & sacro officio eum invocare. Quia est cultus publicus, & nomine totius Ecclesiæ institutus. Hæc docet *Bellarm. n. 3.* alleg. Quod intelligo non tantùm, quando litaniæ publicè recitantur, sed etiam quando privatim. Sicut de officio canonico dicendum est. Quia re vera is cultus est ab Ecclesia institutus tamquam publicus, & solemnis nomine ipsius delatus. Quare solis sanctis canonizatis competit.

6 Secundo deducitur, licitum quoque esse imaginem ejus pingere, & venerari: non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum sanctorum imagines. Ita *Bellarm. ibidem.* At prius videtur, etiamsi cum radiis, & diademate pingatur, dummodo non in publico loco adoranda proponatur. Quia id permodo non in publico loco adoranda proponatur. Quia id pertinet ad cultum publicum. Et quamvis ea pictura ex usus accommodatione sit sancti canonizati; at cum privatim habenda tantùm pingatur, ea pictura non pertinet ad cultum publicum. At id non audeo affirmare. Posterius autem videtur, quando in templo constituitur instar sancti canonizati, ut ab omnibus colatur. Quod etiam constat ex *Trid. sess. 25. in initio, decreto de invocatione, &c. ad fin.* ubi interdicitur insolitam ponere imaginem absque Episcopi approbatione. Neque Episcopus eam licentiam concedere potest, nisi sanctus canonizatus sit. Ut dicam *n. 10.* At licerent hæc ex Summi Pontificis permissione id scientis, & tacentis. Quod aliquando fieri solet, cum de alicujus sancti canonizatione tractatur. At licet simul ponere imaginem alicujus depictam cum imagine sancti canonizati, in memoriam beneficii ab illo recepti; vel ad ornatum alterius simul cum aliis imaginibus. Juxta ea, quæ *n. 17.* dicam.

7 Tertiò deducitur, nec in altari domus privatæ licere eam imaginem sancti non canonizati tenere, si sola in eo sit, & cum lampade. Ita *Philiarc. de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. in fine*. Et favet *Trident. n. prec.* citatum prohibens ullo in loco, vel Ecclesia ullam insolitam ponere imaginem. Sed contrarium videtur. Quia id ad cultum privatum pertinet. Et *Tridentinum* de loco publico videtur intelligendum. Nam experientia testatur in altari domus privatæ sæpè reliquas venerandas exponi non approbatas ab Episcopo; sed non audeo affirmare id licere. Non tamen licet in honorem sancti non canonizati altaria dedicare. Quod benè docet *Bellarm. nu. 3.* relatus. Altare autem dedicare non est in eo imaginem sancti constituere; sed tempore consecrationis altaris id illi sancto dedicare. Ut constat ex Pontificalibus Romanis antiquis, & hoc ultimo Clem. VIII. ubi in litaniis consecrationis altaris ter repetitur: *Ut hoc altare ad honorem tuum, & sancti N. consecrandum*, &c. Et quinquies Episcopus signat altare dicens: *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei, &c. & ad memoriam, & honorem sancti N.* Et in sepulchro hujus altaris ponuntur hæc verba: *Ego N. Episcopus consecravi altare hoc in honorem sancti N.* Quorum verborum meminit *Abb. c. 1. nu. 2. de consecrat. altar. Sylvest. verb. Altare, n. 1.* Nec licet in honorem ejus templa, & sacrificia instituere, nec reliquias ejus publicè in templo venerandas exhibere. Quia hæc sunt propria sancti canonizati. Ut benè docet *Bellarm. ibidem*, qui benè addit licere ejus mortui vestes, vel frustulum sumere, ac manus, & pedes osculari, etiam aliis videntibus, dummodo scandalum absit. Quia licet hoc modo viventes, quos credimus sanctos, venerari. De reliquiis verò in altari privato collocandis idem sentio, quod de imagine ejus dixi.

8 Quartò deducitur, non licere ei publicum festum instituere. At licet alicui in natali ejus à servilibus se abstinere, & vacare Deo in ejus memoriam: Quia prius ad cultum publicum, posterius autem ad privatum spectat. Hocque sancti veteres fecere. Ut constat ex *Cassian. collatione 19. c. 1.* Prius docet *Suar. tom. 1. de relig. l. 2. de festis, c. 11. n. 5.* & utrumque docet *Bellarm. eod. c. 10.* Idem intelligo de jejunio, & voto. Publicum enim jejunium in memoriam ejus induci nequit; nec publicum votum ei offerri: quale esset, quod totus populus ei offerre vellet. Quippe hæc ad publicum cultum pertinent. At posset privatus in memoriam ejus jejunare, aut ei votum offerre; sicut de festo servando diximus; & hoc etiam aliis scientibus, dummodo scandalum absit. Ut in simili diximus *num. praced.*

9 Quintò deducitur, quo pacto intelligantur *c. fin. de feriis, & c. 1. de consec. d. 3.* permittentia Episcopo diem festum instituere. Quamvis enim *Vincentius* Doctor quidam antiquus voluerit ea intelligi, etiamsi sanctus non sit canonizatus; ac per hæc dicit corrigi *c. 1. de relig. & vener. sanct.* reservans Pontifici cultum sancti non canonizati. At eum reprehenderunt jure optimo *Glossa eo c. 1. verb. Festivitates, & ibi Hostiens. n. 8. Joann. Andr. n. 6. Gloss. cap. unico, verb. Sedis, de relig. & vener. sanct. in 6. ubi Dominic. n. 12. Franc. n. 3. Innoc. c. fin. nu. 1. vers. Solemniter, de feriis, & ibi Jo. Andr. n. 8. Ant. n. 4. Alb. n. 4. Imola n. 3. Troilus de canonizatione sanctorum, dub. 2. n. 12. D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 7. in princ. Sylvest. verb. Dominica, qu. 1. dict. 1.* Quare dicunt eos textus permittentes Episcopo festum diem alicujus sancti in sua diœcesi instituere, intelligi debere de sancto ab Ecclesia in sanctorum numerum cooptato. Aliam limitationem ponam *n. 11.*

10 Secunda difficultas est. An attento decreto *Trid. sess. 25.* statim in principio, in decreto *de invocatione, veneratione, & reliquiis sanctorum*, ad finem, liceat Episcopo approbare reliquias sancti antiqui nondum canonizati, atque eas publicè venerandas exponere? Videtur enim id posse. Quia quando certum erat sanctum esse canonizatum, licebat jure communi Episcopo ejus reliquias approbare, ac publicè venerandas proponere. Ut benè docent *Abb. c. finali, ad fin. de reliqu. & vener. sanct. Graffis 2. p. decis. l. 2. c. 4. n. 9.* Ergo dum *Tridentinum* concedit Episcopo privilegium reliquias de novo inventas approbandi, intelligit de reliquiis sancti non canonizati. Quia alias frustraneum esset privilegium, ut pote quod nil concederet. Cum tamen verba privilegii debeant necessario aliquid operari, *c. Si Papa 10. vers. Si autem, de privileg. in 6.* At omnino tenendum est, solas reliquias sancti canonizati posse Episcopum approbare, ut publicè venerentur. Ducor primò ex ratione generali, quòd correctio juris omnino in quantum fieri possit, vitanda sit, etiamsi ob id verba improprientur. Ut probavi *l. 1. de matrim. disp. 17. num. 6.* Quod maximè procedit in decretis Concilii generalis, de quibus oportet mentionem specificam fieri in clausula derogatoria, ut eis derogatum censeatur. Ut probavi *l. 3. de matrim. disp. 26. nu. 7.* Cum ergo in prædicto Tridentini decreto nulla in clausula derogatoria, dicendum non est per illud derogari decreto Concilii generalis Lateranensis, ex quo desumptum est *c. finale, de relig. & vener. sanct.* statuens, ut reliquiæ denuo repertæ non adorentur publicè absque Summi Pontificis licentia. Sed utrumque decretum ad concordiam redigendum est, ut hoc intelligatur, quando sunt reliquiæ sancti non canonizati; illud autem, quando non sunt canonizati. Secundo, quia decreta posteriora, quando prioribus expressè non adversantur, sunt per priora corrigenda, determinanda, & supplenda, quò legum correctio vitetur. Ut expressè decidit *l. Sed & posteriores 28. juncta Glossa verb. Pertinent ff. de legibus*. At nemo dicet ita decretum Tridentini opponi decreto priori Concilii Lateranensis, ut juxta illud intelligi,

per